

Ergo impossibile est, in vno, & eodem homine, esse plures animas. Antecedens patet. Nam cum forma substantialis, faciat esse, non secundum quid, sed simpliciter, & constituat hoc aliquid in genere substantiæ, si prima forma hoc faciat, secunda quæ aduenit, iam inueniet subiectum in esse substantiali constitutum. Et sic, accidentaliter ei adueniet. Vnde si in homine, essent plures anime, sequeretur, quod anima sensibilis, & rationalis, accidentaliter vniirentur. Sed ad hoc diceret cauillator, quod anima vegetabilis, quæ in planta est forma substantialis, est in homine forma accidentalis, siue dispositio ad formam substantialem.

Contra hoc arguit idem Doctor Sanctus: quia quod est vni substantiæ, de genere substantiæ, nullius potest esse accidens, vt dicit philosophus in primo physice, lect. 6. Ergo euasio est friuola.

Deinde arguit Doctor Sanctus, contra tertiam opinionem tali ratione. Nam vel illa opinio intelligitur, ita quod natura intellectualis sit alia anima à vegetabili, & sensibili. Et sic redit in idem cum secunda opinione. Vel intelligitur ita, quod ex istis tribus naturis, constituatur substantia animæ, in qua natura intellectualis erit vt formale, & natura sensibilis, & vegetabilis, erunt vt materiales: sed hoc stare non potest. Tum primo: quia sic sequeretur, cum natura sensibilis, & vegetabilis sint corruptibiles, vt pote de materia eductæ, quod substantia animæ humanæ, non posset esse perpetua. Quod nõ solum est contra philosophum, sed etiam contra fidem, vt deductum est supra, in quinto huius, quæstione decima tertia, articulo primo. Tum secundo: quia sequeretur illud inconueniens, quod est inductum contra primam opinionem, videlicet, quod forma substantialis, successiue educeretur in actum.

Insuper contra quartam opinionem, instat Doctor Sanctus tri. liciter, ibidem ad nonum. Et primo sic. Nam à nõ viuentibus, viuentia in hoc differunt: quia viuentia mouent se ipsa, secundum operationes vitæ, quod de non viuentibus, dici non potest. Vnde non potest esse, quod nutriri, & augeti, quæ sunt propriæ operationes viuentis, sint in embryone, à principio extrinseco, videlicet ex anima matris. Secundo. Si sic, tunc virtus nutritiua matris, assimilaret cibum corpori matris, & nõ corpori embryonis: cum vis nutritiua deseruiat indiuiduo, sicut vis generatiua speciei. Tertio: quia sic etiam sentire non posset, existens in embryone ex anima matris, cum anima matris informet corpus eius, & non corpus embryonis, vt illa positio asserit.

Finaliter contra quintam opinionem, adducit Doctor Sanctus talem rationem ibidem. Nam apparent in embryone, ante vltimum complementum diuersarum operationum vitæ, quæ non possunt esse à virtute vna. Oportet ergo, quod sic ibi anima habens diuersas virtutes. Vnde concludit esse dicendum, quod embryo, antequam habeat animam rationalem, viuit, & habet animam, qua nutritur, & augetur, & sentit. Qua abiecta inducitur anima rationalis. Et sic non sequitur, duas animas esse in eodem corpore, neq. animam rationalem, traduci cum semine. Hæc ille.

ET PER HOC patet solutio AD PRIMVM.

AD SECVDVM dicendum, vt dicit ibidem Doct. S. in solutione ad decimum, quod embryo antequam habeat animam rationalem, non est ens perfectum, sed est in via ad perfectionem. Vnde non est in genere, neque in specie, nisi per reductionem, sicut incompletum reducitur ad genus, vel ad speciem completi.

AD VLTIMVM dicendum quod peccatum originale, est in anima, in quantum pertinet ad naturam humanam. Humana autem natura, traducitur à parente in filium, per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur, & ex hoc infectionem incurrit: quia sic cum carne traducta, vna natura. Si enim anima vniiretur corpori, non ad constituendam vnam naturam, sicut angelus vniitur corpori assumpto, in seipsum peccati non reciperet. Non est ergo peccatum originale, formaliter, & subiectiue, in embryone, sed casualiter, & occasionaliter tantum. Hæc omnia hic sunt adducta, propter ea, quæ restant declaranda inferius in quæstione sequenti.

Q V A E S T I O I V.

De principijs substantiarum, & aliorum generum.

DEINDE restat perferendum in hoc quarto, siue vltimo capitulo huius primi tractatus. Vtrum, scilicet, sint eadem principia substantiarum, & aliorum generum, aut alia, & alia: Et si alia, quomodo alia, & si eadem, quomodo eadem, postquam consideratum est de principijs substantiæ sensibilis.

CIRCA quod, quærentur tria.

¶ Primo, Vtrum eadem sint principia substantiarum, & accidentium.

¶ Secundo, Vtrum effectus causarum, debeant iudicari possibiles, contingentes, necessarii, vel impossibiles, secundum causas inferiores, siue proximas, vel secundum causas superiores, siue remotas.

¶ Tertio, impertinenter tamen. Vtrum ponentes, secundum philosophum, animam intellectuam, post totius compositi resolutionem, esse separabilem ab homine, habeant ponere vnam essentiam in homine, præter illam, quæ resultat ex corpore, & anima.

¶ Sequitur in philosopho; & Do. Sa. ibi. *causa autem; & est lect. 4.*

ARTICVLVS I.

Vtrum ipse substantia, & accidentium, sint eadem principia, vt hic arguit philosophus.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod ipse substantiæ, & accidentium, non sint eadem principia, vt hic arguit philosophus. Nam si eadem essent principia substantiæ, & accidentium, oporteret, quod illa principia, eadem essent præter substantiam, & alia genera accidentium, aut oporteret quod essent in genere substantiæ: vel in aliquo genere accidentium: sed nõ potest dici primum: quia sic oporteret, quod essent priora, tam ipsa substantia, quam alii prædicamentis. Principium enim, est prius his, quæ sunt à principio. Cum ergo id, quod est prius, inueniatur esse cõmunius, sicut animal est prius homini, tanquam eius principium: sequitur, si aliquid sit prius substantiæ, & alijs generibus, quod aliquid sit commune substantiæ, & alijs generibus: præcipue secundum opinionem Platonicorum, ponentium vniuersalia esse principia, & vnum, & ens, esse quasi communissima principia. Neque potest dici secundum: quia cum principia sint homogenea his, quæ dependent ab eis, non videtur possibile, quod substantia sit principium eorum, quæ sunt ad aliquid, aut e conuerso. Nõ ergo eadem sunt principia substantiæ, & aliorum generum.

C

¶ 1. Præterea, Nullum elementum, est idem cum eo, quod ex elementis est compositum, cum nihil sit causa, aut elementum sui ipsius. Si ergo eadẽ sunt elementa, siue principia substantiæ, & aliorum generum: sequitur, quod nihil eorum sit in genere substantiæ, neque in alijs generibus. Quod tamen est impossibile: quia necesse est, omne quod est, in aliquo genere esse. Non est ergo possibile, quod eadem sint principia omnium generum. Sed dicebat cauillator, quod assumptum patitur instantiam: & per consequens, est falsum. Nam vnum, & ens, sunt principia & elementa omnium: sed vnum quodque principiorum est vnum & ens. Ergo non est verum, quod nullum elementum sit idem, cum eo, quod est ex elementis.

¶ 2. Contra, Nam nullum intellectualium elementorum, quæ scilicet sunt ens & vnum, possibile est, esse idem cum alijs, quæ sunt ex elementis. Tum primo: quia secundum Platonicos, talia elementa sunt separata secundum esse, à sensibilibus. Illud autem, quod est separatim ab aliquo secundum esse, non est idem cum eo. Tũ secundo: quia huiusmodi elementa, scilicet vnum, & ens, insunt singulis

compositorum ex eis: sed nullum compositorum ex eis, inest eis, neque etiā alijs singulis: sequitur ergo, quod talia intellectualia elementa, differunt ab his, quæ sunt composita ex eis. Verum est igitur assumptum, etiam secundum Platonicos, videlicet quod elementa non sunt idem his, quæ sunt ex elementis.

¶ 4. Præterea, Diuersorum compositorum, sunt diuersæ formæ, vt de se patet: sed diuersæ formæ, requirunt aliam & aliam materiam, diuersimode dispositam. Actus enim actiuorum, suscipiuntur in patiente disposito, vt patet in secundo de anima. lect. 4. Materia autem, & formæ, dicuntur principia intrinseca compositorum. Ergo omnium generum, non sunt eadem principia.

¶ 5. Præterea, Illa sunt vnum, quorum principia sunt vnum: si ergo omnium rerum, eadem essent principia: sequeretur, quod omnia, entia essent vni, quod est maximum inconueniens. Ergo & illud, ex quo sequitur.

SED IN CONTRARIUM arguitur etiam secundum philosophum. Nam tam corpora simplicia, quam mixta sensibilia, habent pro principijs, materiam, formam & priuationem, vt patuit etiam primo physicorum lect. 13. Ergo omnium sensibilibus, sunt eadem principia, loquendo præsertim de generabilibus, & corruptibilibus.

¶ 2. Præterea, Omnium entium productorum inesse, est vna numero mensura, quæ Deus est: sed metrum, & mensura, est mensuratorum principium. Ergo omnium entium, est vnum principium, etiam simpliciter, & secundum rem.

RESPONDEO dicendum, quod in hoc quarto capitulo, huius primi tractatus, postquam philosophus determinauit in præcedentibus, de principijs substantiæ sensibilis secundum se, hic consequenter determinat de eis comparative, mouendo hanc quæstionem, in principio articuli adductam, videlicet, an substantiæ, & relationis, & aliorum generum accidentiũ, sint eadem principia, aut alia, & qualiter eadem, & qualiter alia. Philosophus vero hanc quæstionem determinando, primo arguit ad partem negatiuam, probando, quod non sunt eadem principia, vt patuit in argumentis, ante in contrarium adductis, secundo determinat quæstionem, per viam distinctionis elicitivæ, tertio breuiter recolligit ea, quæ ad responsionem motæ quæstionis dicuntur.

1. Notandũ

Considerandum autem est hic primo, secundum philosophum, circa declarationem primi termini tituli, quod principia sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt principia rationis, de quibus non est modo quæstio. Alia sunt principia realia. Et talia sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt principia intrinseca, quæ proprie dicuntur elementa, vt in quinto huius patuit, quæstione prima, art. 2. Elementum enim est id, ex quo aliquid fit, cum inest. Alia sunt principia extrinseca, vt mouentia effectus, quæ propria dicuntur principia, secundum quod distinguitur principium contra elementum, vt dicit hic Doct. Sa. quemadmodum etiam patuit supra, in quinto huius, qu. 3. art. 1. Et talia sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt immediate concurrentia effectivæ, ad productionem effectus, sicut sunt artes, vt ars domificatoria, & medicinalis, & sic de singulis. Alia sunt mouentia, sicut id, quod mouet: sicut domificans est id, quod domificat. Et talia sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt specialia, sicut Callias, generans Socratem. Alia sunt communia, sicut homo, generat hominem. Et talia sunt etiam in duplici differentia. Nam quædam sunt vniuoca, vt homo: vel asinus, dum generant eis simile. Alia sunt æquiuoca, siue analogæ. Et talia sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt, quæ præsupponunt alia mouentia, vt sunt omnes causæ mouentes creatæ. Alia sunt, quæ secundum rem nulla alia præsupponunt, vt sunt Deus, bonitas eius, & alia attributa.

2. Notandũ

Considerandum vterius est secundo, circa declarationem secundi termini tituli. Quærebatur enim, vtrum omnium rerum, sint principia eadem. Aliqua igitur dicuntur eadem dupliciter. Vno modo, re, & ratione simul, sicut tunica, & indumentum, nisi forte acciperentur pro diuersis, vt si accipiatur tunica pro veste, & indumentum pro mantello. Alia dicuntur esse eadem re, & non ratione. Et talia sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt eadem omnibus modis identitatis realis, sicut Marcus & Tullius, supposito, quod idem suppositum hominis sig-

nificant. Alia sunt eadem realiter, non tamen omnibus modis identitatis realis. Et talia adhuc sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt eadem specie, differentia tamen numero, sicut Socrates, & Plato. Alia sunt eadem genere, non tamen specie, vt homo, & asinus. Et talia dicuntur adhuc dupliciter esse eadem. Vno modo, identitate vniuocationis, vt nunc est exemplificatum. Alio modo, identitate proportionis, siue analogiæ, sicut sunt decem prædicamenta, quæ dicuntur esse eadem genere, non quidem vniuoce, sed analogice. & hoc accipiendo genus pro omni illo, quod de pluribus differentibus specie, prædicatur in eo, quod quid.

Considerandum vterius est tertio, secundum Doctorem Sanctum, in præsentia lectione, quod philosophus in propositione huius quæstionis, specialem facit mentionem de ad aliquid: quia ea, quæ sunt ad aliquid, remotiora sunt inesse à substantia, quam alia genera accidentium: tunc sunt debilioris esse, cæteris generis accidentium: vnde non inhaerent substantiæ, nisi mediantribus alijs generibus accidentium, sicut duplum, & dimidium, quale, & inquantale, mediante quantitate, simile, & dissimile, mediante qualitate, dominus, & seruus, mediante actione, & passione. Et hoc ideo: quia substantia, est ens per se existens: quantitas vero, & qualitas, sunt entia in alio: relationes vero, non solum sunt in alio, sed ad aliud. Hæc ille formaliter notat hæc, si velint nonnulli Thomistæ recentiores, qui volunt, quod relatio, & fundamentum, sunt vna res, & non duæ, quomodo seclusa operatione intellectus, vna, & eadem res, erit simul, & semel, maioris entitatis, & minoris entitatis, siue debilioris, & quomodo etiam vna res, inhaeret substantiæ, mediante seipsa, & quomodo vna, & eadem res, erit essentialiter absoluta, & respectiua, loquendo de respectu prædicamentali, secus est in diuinis. Et de tali distinctione reali, ipsius relationis, à suo fundamento, ad longum disputatum est, supra in 5. huius, quæstion. 16. artic. 19.

Considerandum vterius est quarto, secundum philosophum in hoc capitulo, in textu commenti 23. lection. 4. quod principia intrinseca sensibilibus corporum, sunt tria, videlicet materia, forma, & priuatio, quæ sunt eadem quodammodo, videlicet secundum proportionem, & quodammodo sunt diuersa in diuersis, videlicet secundum rem, & in speciali. Exempli gratia: Ponamus, quod sensibilibus corporum sit principium, tanquam forma, calidum, & tanquam priuatio, frigidum, & materia sit illud, quod est in potentia secundum se, ad hæc duo. Nam materia secundum se sumpta, est principium susceptiuum formæ, & priuationis. Vtitur autem philosophus, vt hic dicit Doctor Sanctus, calido, & frigido, tanquam formæ, & priuatione, in genere substantiæ, ad maiorem declarationem, quæ tamen secundum rei veritatem, non sunt formæ, aut priuationes substantiales, sed qualitates. Et talia principia sunt substantiæ, non, sicut species, sed sicut principia. Et etiam illa, quorum hæc sunt principia, etiã sunt substantiæ, vt ignis, & aqua. Hæc igitur principia, sunt eadem proportionabiliter in omnibus corporibus, tam simplicibus, quam mixtis, videlicet, sicut prædicta tria principia, sc. calidum, & frigidum, & subiectum eorũ, se habent in generatione corporum simplicium, vt materia, forma, & priuatio, ita in quolibet genere, aliqua tria sunt, quæ se habent, vt materia, forma, & priuatio. Ista tamen sunt diuersa in diuersis generibus, secundum rem, sicut in genere colorum, album est sicut species, nigrum sicut priuatio, & superficies sicut materia. Et in genere distinctionis temporum, lumen est sicut species, tenebræ sicut priuatio, & aer sicut materia, siue subiectum. Ex quibus tribus, constituuntur dies, & nox. Accipitur autem hic materia, largo modo, videlicet tam pro materia ex qua, quã in qua. Patet ergo ex supradictis, quod omnium substantiarum sensibilibus, tam simplicium, quã mixtarum, seu compositarum, sunt eadem principia intrinseca proportionabiliter, non autem secundum rem, & eodem modo.

Considerandum vterius est quinto, secundum philosophum in textu commenti 24. le. 4. quæ sunt tria elementa, videlicet forma, priuatio, & materia, sunt eadem in omnibus secundum proportionem, ita etiã & principia extrinseca, videlicet effectus id est in omnibus, secundum proportionem, aliud vero, & aliud secundum rem. Quod manifestat philosophus per exemplũ. Sicut in sanatiuis, sanitas est, sicut forma, infirmitas, sicut priuatio, & corpus, sicut materia, ars vero medicinalis, sicut

mouens. Sed in edificatiuis, ordinatio partiu, est sicut forma, in ordinatio vero sicut priuatio, ars vero edificatiua sicut mouens, sed lateres, & ligna sunt, sicut materia, & sic de alijs. Priuatio autem hic vocatur a philosopho elementum, non per se, vt dicit hic Doctor S. sed per accidens: quia, videlicet materia, cui priuatio accidit, est elementum. Materia enim sub vna forma, habet in se priuationem alterius. Sic ergo patet, quod causae, & principia rerum sensibilium, sunt quatuor, vt tribus elementis addatur causa mouens. Philosophus autem non facit hic mentionem de causa finali, quia finis, vt dicit hic Doctor Sanctus, non est principium, nisi secundum quod est in intentione mouentis.

8. Notanda

Considerandum vltterius est sexto secundum philosophum in textu commentii 25. lec. 4. quod praedicta quatuor principia, reducuntur ad tria, eo quod tam in naturalibus, quam in artificialibus, mouens, & forma, reducuntur in idem in specie. Nam in naturalibus, homo est mouens, in quantum habet formam. Similiter in artificialibus, dominicans aedificat, in quantum habet formam domus in mente, in quantum, scilicet ars, est similitudo, & ratio formae, quae est in materia. Patet ergo, quod causae quodammodo sunt tres, videlicet secundum speciem, & quodammodo quatuor, in quantum differunt numero. Et licet, vt innuit philosophus ibidem, omnia principia non sint eadem secundum rem, sed solum secundum proportionem, prima tamen principia, sunt simpliciter eadem. Quod ostendit philosophus, quantum tria. Primo, quantum ad hoc, quod inter quatuor causas assignatas, mouens est causa prima: quia mouens est, quod facit esse formam, & priuationem in materia. In genere autem mouentiu, est deuenire ad aliquod vnum primum mouens, vt patuit supra octauo huius, quazione prima, articulo 1. Et infra ostenditur, quaz. 5. art. 2. Ergo illud primum mouens, vnum & idem, est principium omnium. Secundo idem probat philosophus, in textu commentii 26. lectione quarta, per hoc, quod entiu quaedam sunt abstracta, idest per se existentia, sicut substantia, quaedam vero non sunt abstracta, vt accidentia. Manifestu est enim, quod principia prima in genere substantia, sunt etiam causae omnium aliorum generum accidentium, non solum quantum ad primam causam mouentem, sed etiam quantum ad causas intrinsecas. Non materia, & forma, substantia, & sunt causae accidentium. Quod intelligendum est, non essentialiter, sed per quandam dependentiam: essentia enim praedicatorum, sunt impermixta. Tertio idem probat in eodem textu, per hoc, quod etiam in genere substantia est deuenire ad aliqua prima principia. Nam prima principia in genere substantiarum, sunt substantia: vt uerbes animatae. Et hoc, vt dicit hic Doctor Sanctus, secundum opinionem Aristotelis, ponentis caelestia corpora animata. Et sic prima principia in genere substantia, vt forma, & materia, erunt anima, & corpus, vel corpus, & intellectus, aut desiderium. Na anima corporis caelestis, non habet alias partes animae, nisi intellectum, & desiderium. Intellectus autem, & desiderium, habent rationem causae mouentis. Ex quo patet, secundum Doctorem Sanctum, quod opinio Aristotelis fuit, quod caelum est corpus animatum, formaliter, Nihil enim dicitur animatum, per animam assistentem tantum, sicut lapis, dato quod ab anima moueretur, & ei anima assisteret, tamen lapis nunquam diceretur corpus animatum. De quo clarius disputabitur infra quazione 7. art. 6.

9. Notanda

Considerandum vltterius est seprimo, secundum philosophum in textu commeti 27. vbi sup. quod alio modo, quod dictum est, sunt eadem principia omnium proportionaliter, & diuersa secundum rem. Nam actus, & potentia, sunt eadem principia omnium, sed differetia, dupliciter. Primo modo: quia alia potentia, & alius actus, sunt principia in diuersis rebus. Secundo modo, quia in quibusdam, aliter reperiuntur actus, & potentia, & aliter in alijs: quia in quibusdam, quandoque est idem in actu, & quandoque in potentia, vt patet in generabilibus, & corruptibilibus. In quibusdam vero, reperitur idem esse semper in actu, vt patet in sempiternis. Quod autem sit alia potentia, & alius actus in diuersis, patet exemplariter. Nam alia est materia, siue potentia ipsius hominis, & alia forma, siue actus ipsius, & alia per consequens priuatio, a materia, forma, & priuatione animi, & lapidis, & sic de singulis. Actus autem, & potentiae coinci-

dunt in idem, cum materia, & forma. Na forma est actus, materia vero potentia. Et priuatio etiam quodammodo est actus: quia est priuatio ipsius actus, in materia apta nata.

9. Notanda

Considerandum vltterius est octauo, secundum philosophum in textu commentii 28. ibidem, quod alio modo, sunt eadem principia omnium, quam secundum proportionem, videlicet secundum vniuersaliteratem. Principia enim substantia, sunt vniuersaliter principia omnium accidentium, in quantum accidentia causantur ex substantia. Actus autem, & potentia, sunt principia omnium vniuersaliter, in quantum consequuntur ens commune. Ita oportet, quod sicut est descensus communitatis principiatorum, ita sit descensus communitatis principiorum. Vnde eorum, quae sunt in eadem specie, sed diuersa sunt secundum numerum, sunt etiam diuersa principia, non specie, sed numero, sicut aliud principium, est materia tua, & forma, & mouens, & alia mea: sed secundum vniuersalem rationem, sunt eadem. Nam anima, & corpus, sunt materia, & forma hominis in specie: huius autem hominis, haec anima, & hoc corpus. Similiter eorum, quae sunt in eodem genere, sed diuersa secundum speciem, eadem sunt principia secundum genus, & diuersa secundum speciem. Et eorum, quae sunt eadem transcendenter, sed diuersa secundum genus, sunt eadem principia secundum analogiam, & diuersa secundum genus.

9. Notanda

Considerandum vltterius est nono, secundum philosophum, in textu eiusdem commentii, quod actus, & potentia: quia diuidunt ens, sunt principia vniuersaliter designata: quia vniuersaliter intelliguntur, non tamen ita, quod talia vniuersalia, sint principia subsistentia, vt Platonici posuerunt: quia singularium, non potest esse aliud quod principium, nisi singulare. Vniuersale enim est principium alicuius effectus, vniuersaliter accepti, vt homo hominis: sed cum non sit aliquis homo vniuersaliter subsistens, non erit aliud quod principium vniuersale subsistens, hominis vniuersalis, sed solum hoc particulare principium, huius particularis.

Considerandum vltterius est decimo, secundum philosophum in textu commentii 29. lec. 4. quod quzere, vtrum sint eadem principia substantiarum, & ad aliquid, & qualitatatum, & aliorum generum: aut an sint diuersa, est quzere de multipliciter dictis. Vnde ad talem quzitionem, non est danda vna responsio, propter fallaciam, secundum plures interrogationes, vt vnam, vt patet primo elenchorum, capite 3. Diuersorum igitur, sunt diuersa principia, & non eadem, nisi forte quodammodo, videlicet secundum proportionem, sicut si dicamus, quod in quolibet genere, inueniuntur aliqua, quae se habent, vt materia, & forma, & priuatio, & mouens: aut eo, quod causae substantiarum, sunt causae omnium: quia destructis substantijs alia destruantur: aut vero: quia principia omnium, sunt actus, & potentia. His tribus modis, eadem sunt principia omnium, sed alio modo, sunt diuersa principia omnium: quia contraria, quae sunt principia rerum, & etiam ipsae materiae non vniuersaliter dicuntur: quia non sunt genera, aut species: neque etiam dicuntur multipliciter, quasi mere & quiuocae. Et ideo non possumus dicere, quod sint eadem simpliciter, sed solum secundum analogiam. Ex quo patet responsio ad quzitionem. Nam dum quzitur, an omnium sint eadem principia, aut diuersa: vel sit quzistio, de principio simpliciter primo. Et sic omnium, est idem principium, & vnum, quod est Deus: vel sit quzistio de principijs, non simpliciter primis, tam extrinsecis, quam intrinsecis. Et sic omnium principia, sunt eadem tribus modis praedictis, videlicet, aut secundum proportionem, aut secundum extensionem, aut secundum vniuersaliteratem, & sunt diuersa diuersorum, in speciali loquendo. Ex praedictis etiam elicetur, quod reum naturalium, triplex est causa, includendo causam finalem sub efficiente, videlicet causa materialis, causa formalis, & causa efficiens. Causa materialis est duplex, scilicet remota, vt materia prima, & propinqua, videlicet elementa, vel materia sic disposita. Causa vero formalis est duplex. Quaedam est artificialis. Aliqua est naturalis. Et quzlibet earum, est triplex, vt supra, quz. 3. art. 3. dictum est, videlicet forma producens, a qua aliquid producit, sicut calor ignis respectu caloris in aqua. Et forma exemplaris, siue idealis, ad quam aliquid fit. Et forma informans, secundum quam aliquid fit, quae

9. Notanda

1. Conclusio

2. Conclusio

3. Conclusio Corollarium

est altera pars totius compositi: sed & causa efficiens, est triplex, videlicet propria, vt pater huius hominis, & communis, vt sol, & orbis, & communissima, vt Deus.
 AD ARGUMENTA igitur vtriusque partis, patet solutio ex dictis.

¶ Sequitur in philosopho & Doctore Sancto. vbi supra.

ARTICVLVS II.

Vtrum effectus causarum, debeant iudicari possibiles, vel contingentes, vel necessarij, vel impossibiles, secundum causas inferiores, siue proximas, sed potius secundum causas superiores, siue remotas.

AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur quod effectus causarum, non debeant iudicari possibiles, vel contingentes, vel necessarij, vel impossibiles, secundum causas inferiores, siue proximas, sed potius secundum causas superiores, siue remotas. Nam illuminare cecum, est quidam effectus, qui aliquando fit in naturalibus rebus. Et tamen talis effectus, non iudicatur possibilis secundum causas proximas. Ergo vniuersaliter loquendo, effectus non iudicantur possibiles secundum causas proximas.

¶ 2. Præterea, Primum in vnoquoque genere, est causa, & mensura omnium, quæ sunt illius generis, vt patuit supra in decimo huius, lectione secunda, sed Dei potentia, est prima inter omnes potentias. Ergo secundum eam, effectus debent iudicari possibiles, & non secundum causas inferiores.

SED IN CONTRARIVM arguitur. Nam causæ superiores, sunt necessariæ. Ergo si secundum eas, essent effectus iudicandi, omnes effectus essent iudicandi necessarij.

2. Præterea, Omnia sunt Deo possibilis. Si ergo secundum ipsum, effectus debent iudicari, nihil erit impossibile.

RESPONDEO dicendum, quod iudicium potest accipi dupliciter. Vno modo, secundum primam, & propriam eius impositionem, id est, secundum id, ad quod primo impositum est, ad significandum principaliter. Et sic importat certitudinalem determinationem iuris. Vnde, vt sic iudicium est actus iustitiæ. Alio modo, potest accipi secundum id, ad quod transumptum est secundario, ad significandum, videlicet, pro quacunque certa determinatione alicuius rei. Certitudo autem habetur per causam. Vnde sapientis est iudicare, cuius est etiam causas considerare, vt patuit proæmio huius metaphysicæ, quæst. 7. articulo primo. Et isto modo, accipitur hæc iudicium in proposito.

- 1. *Notauid.* Considerandum est autem, vt dicit Doctor Sanctus in de potentia, qu. 1. arti. 4. eodem titulo in corp. quod iudicium de possibilitate, vel impossibilitate, potest considerari dupliciter. Vno modo, ex parte iudicantium. Alio modo, quantum ad naturam rei, de qua iudicatur. Si consideretur iudicium isto secundo modo, hoc etiam est dupliciter: quia vel tales effectus, sunt secundum se possibiles: vel sunt impossibiles, & non secundum aliquam potentiam: vel dicuntur possibiles, & secundum aliquam potentiam. Si primo modo, sic non iudicantur esse tales, per aliquas causas, sed per se ipsos. Si secundo modo, hoc est etiam dupliciter: quia vel tales effectus, dependent à causis superioribus tantum, & non ab inferioribus, sicut est de illuminatione cæci: vel dependent à causis superioribus, & inferioribus.
- 2. *Conclusio* Si primo modo, sic effectus debent iudicari esse tales, secundum causas superiores tantum, cum ab eis solum habeant esse. Si autem secundo modo, scilicet, ex parte naturæ rei, sic effectus debent iudicari possibiles, vel impossibiles secundum causas proximas. Tum primo: quia actio remotorum causarum, per causas proximas determinatur. Tum secundo: quia præcipue causas proximas, effectus imitantur. Tum tertio: quia effectus recipiunt possibilitatem, impossibilitatem, contingentiam, aut etiam necessitatem, à causa proxima, & non à remota, sicut meritum

recipit contingentiam, à libero arbitrio, quod est causa proxima, non autem necessitatem, sed à causa diuina, quæ est causa remota. Tunc quarto: quia materia remota, vt patuit 9. huius, le. 6. & nos ibidem declarauimus, qu. 7. artic. 1. non dicitur, proprie loquendo, esse in potentia ad aliquid, sed materia, quæ est propinqua, vno motore, potens exire in actum, dicitur esse in potentia ad aliquid, sicut aurum est in potentia terra. Vnde similiter effectus, quantum est de sui natura, non dicitur, nisi à causis propinquis possibiles, vel impossibiles. Sed si accipitur iudicium, ex parte iudicantium, hoc etiam est dupliciter, secundum quod duplex est sapientia. Sapientis enim est iudicare. Est enim quædam sapientia humana, quæ dicitur philosophia, considerans causas creatas. Alia est sapientia diuina, quæ dicitur theologia, considerans altissimas causas, siue diuinas, quæ sunt attributa, vt sapientia Dei, bonitas voluntas, & huiusmodi: vel igitur loquimur de iudicio theologorum. Et sic effectus, debent iudicari secundum causas superiores: vel de iudicio philosophorum. Et sic debent iudicari, secundum causas proximas. Cuius ratio est:

B quia si sint duæ scientiæ, quarum vna scientia considerat causas altissimas, & alia minus altas, iudicium in vtraque non eodem modo sumitur, sed secundum causas, quas vtraque considerat, sicuti astrologus, qui considerat causas superiores, medicus autem considerat causas proximas. Vnde astrologus iudicat de sanitate, aut morbo secundum dispositionem syderum. Medicus autem iudicat secundum causas proximas, videlicet secundum virtutem naturæ, & qualitatem morbis: sed theologia, & philosophia sunt scientiæ huius. Ergo theologia habet iudicare de effectibus, secundum causas increatas, quas considerat, philosophia vero secundum causas inferiores, & creatas, quas considerat.

AD PRIMUM igitur dicendum, quod illuminare cecum, est effectus qui dependet à causa suprema, videlicet à Deo tantum, & non à causis inferioribus: quia talis effectus, est impossibilis secundum potentiam naturalis agentis.

Sed contra hoc arguebat discipulus. Nam in quolibet impossibili, etiam naturæ, includitur affirmationem, & negationem esse simul, vt concedit Doctor Sanctus, in de potentia, quæst. 1. arti. 3. ad 2. sed hoc fieri non potest à Deo, vt ibidem dicit in corpore. Ergo illud, quod est impossibile agenti naturali, impossibile est etiam ipsi Deo: & per consequens, nullus est effectus, qui solum dependeat à causa prima, non à causa naturali. Vnde solutio nulla. Dicendum, vt dicit Doctor Sanctus, vbi immediate supra, ad secundum, quod in impossibili, implicat affirmationem, & negationem esse simul, secundum hoc, quod est impossibile. Sed ea, quæ sunt impossibilia, propter defectum naturalis potentie, vt cecum videntem fieri, vel aliquid huiusmodi, cum non sint impossibilia secundum se ipsa, non implicant, affirmationem, & negationem esse simul secundum se ipsa, sed secundum comparationem ad potentiam naturalem, cui sunt impossibilia. Hæc ille.

Sed contra hæc solutionem, arguit idem discipulus. Nam Deus, qui est autor naturæ, non potest aliquid facere contra naturam: Aliter artifex ageret contra suam artem: sed quicquid est impossibile, per comparationem ad potentiam actiuam naturæ, est contra naturam. Ergo à Deo, fieri non potest id, quod naturæ est impossibile. Dicendum ad minorem, vt dicit ibidem Doctor Sanctus, quod aliud est agere contra naturam, & aliud est agere præter naturam. Deus autem facit frequenter, contra communitatem naturæ: sed quicquid in rebus facit, non est contra naturam, sed est cum natura, eo quod est conditor, & gubernator naturæ. Vnde sicut in rebus naturalibus videtur quædam aliquid corpus inferius, mouetur à superiori, est motus ille ei naturalis, quamuis non videatur conueniens motui, quæ naturaliter habet ex seipso, sicut mare mouetur, secundum fluxum & refluxum à luna, vt Commentator dicit in tertio, de celo, & mundo, licet eius motus naturalis secundum se ipsum, sit ferri deorsum. Et hoc modo omnes creature pro naturali quasi habent, quod fit à Deo in ipsis. Hæc ille. Nihil ergo Deus agit contra naturam.

Sed contra hoc iterum arguebat idem discipulus. Quicquid enim fit contra potentiam agentis naturalis, est contra naturam: sed talis effectus, qui volum dependet à Deo per concessa, fit contra potentiam naturæ. Ergo &c. Dicendum, quod talis effectus, non fit contra omnem potentiam naturæ. Nam duplex est potentia natura

4. Conclusio
1. Conclusio